Página
de
Cotrolo

Præclariſsimo Domino, præstantiſsimo Eeroi D.D. Ferdinando
Jozepco de Castro e Caldas Regiæ domus aulico generozo in Re-
galli D. Pauli Collegio Collega et in Collimbriensi Academia Juris
Cæsarei interpetre omnium votis pro Sanguine virtutibus et meritis
splendidiſsimo
D.

HB 18 14(90)

DITISSIMUM SAPIENTIÆ HEREDIUM,

SIVE

Ab inſtituendis heredibus

HEREDITARIUM MINERVÆ THESAURUM,

Suis expoſitum Alumnis,

TOT GEMMIS, QUOT PUNCTIS

ACUTISSIME NOTATIS, AC ELEGANTISSIME EXENUCLEATIS AD PERDIFICILEM textum in L. ſi alienum 49. ff. de Heredibus inſtituendis.

PATROCINANTE AC PRÆSIDE

NOBILISSIMO AC SAPIENTISSIMO

DOMINO D. FERDINANDO PIRES MOURAM

Juris Cæſarei interprete & Inſtitutionum Cathedræ moderatore ſubtiliſſimo, Portucalenſis Senatus Senatore Regio emeritiſſimo in Regali D. Pauli Collegio Collega ac Rectore quondam ornatiſſimo, & ad mayores dignitatum apices pro meritis ſublimando.

DEFENSURUS

EDUARDUS LOPES DE ULHOA.

Suo 6. Juris Civilis anno, die 25 hujus menſis, hora 2

ILLUSTRIOR THESAURI GEMMA.

Utrum *ſervus inſtitutus cum coherede, ſub hac conditione:* Cum mihi quis heres erit *Sit heres neceſſarius, an voluntarius?* Eligat.

AD FLORENTIN. LIB. I. INSTITUT. in L. alienum 49. ff. de Heredibus Inſtituend.

FLOS PRIMUS

PRO INSTITUTIONE SERVI PROPRII.

Ad Imperator. Juſtinian. in principio Inſtit. de Heredibus Inſtituend.

1 ANTE Conſtitutionem Imperatoris Juſtiniani, ut ſervus proprius liber, & neceſſarius heres domino ſuo exiſteret, debebat ab ipſo domino cum libertate expreſſè data heres inſtitui.

2 Servum proprium tutorem datum à domino filijs ſuis impuberibus in Teſtamento ex ipſa tutelæ datione libertatem conſequi totis viribus, affirmamus.

3 Dominus, qui ſolvendo non eſt, poterat, etiam dejure ff. ſervum proprium heredem inſtituere ſine expreſsione libertatis.

4 Militem etiam poſſe inſtituere ſervum proprium ſine expreſsione libertatis, defendimus.

5 Servus proprius Teſtatoris heres inſtitutus cum libertate, ſive velit, ſive nolit, ſemper eidem domino neceſſarius heres exiſtit.

6 Similiter ei non competit beneficium abſtentionis, heredibus ſuis neceſſarijs conceſſum.

7 Licet ſervus proprius a domino ſuo ſub conditione inſtitutus ſit heres non ob id voluntarius, ſed neceſſarius manet.

8 An autem, quando cum alio coherede inſtituitur ſub conditione: cumquis mihi heres erit Stichus liber, & heres eſto voluntarius, vel neceſſarius heres exiſtat? Quæſtio eſt, quam pro herede voluntario decernimus.

9 Servus, qui pupillo fuit ſubſtitutus a domino pupilli parente cum libertate, poſtea quo ab eodem pupillo venditus, ſi ab emptore fuerit cum libertate inſtitutus, dum ex ſubſtitutione pupillari heres eſſe poteſt, emptori neceſſarius heres non exiſtit.

10 Proprius teſtatoris ſervus abeo cum libertate inſtitutus, mortuo Teſtatore, ipſo jure, & poteſtate legis fit heres neceſſarius abſque ulla aditione.

11 Quod

11 Quod etiam procedit, licet ex parte hereditatis ſit inſtitutus, & Tabulæ non ſint apertæ.

12 Dominus plures ſervos infraudem creditorum ſibi heredes inſtituens illico ab ipſius morte ante aperturam tabularum unum ex ipſis ſervis habet heredem neceſſarium.

FLOS SECUNDUS
PRO REPETITIONE CONDITIONIS

Ad J.C. Ulpian. lib. 3. ad Sabin. in l. ſervus §. 1. de Heredibus Inſtit.

1 Conditio poſsita in libertate cenſetur repetita inſtitutione, & èconcra, nec antea fit ſervus heres, & liber, quam conditio exiſtat.

2 Si tamen ſervus inſtituatur ſub conditione, & libertas ſimpliciter adſcripta ſit deficiat que conditio inſtitutionis valebit libertas, ſi detur coheres, cujus aditione confirmetur.

3 Quando ſervo proprio legatur ſimpliciter, libertas autem ſub conditione relinquitur, etiam conditionẽ repetitam in legato aſſerimus.

4 Conditio vero poſsita in perſona heredis inſtituti ad perſonam ſubſtituti repetita non cenſetur.

5 Si legatum conditionale transferatur abuna porſona ad aliam, eadem conditio primo legitario adjecta in ſecundo inducitur.

6 Etiam conditio poſsita in inſtitutione cenſetur repetita in prelegatis eidem ſervo relictis.

FLOS TERTIUS
PRO INSTITUTIONE SERVI PROPRII,

Quem poſtea, manumiſit, vel alienavit teſtator; aut in eo alteri uſumfructum conſtituit, vel pignus.

Ad J.C. Ulp. lib. 5. ad Sabin. in l. quoties 9. §. ſervus 16. & §. final & lib. 21. ad Edictum in l. pignori 30. & lib. 6. regularum in l. ſervum meum 50. de Heredibus. Inſtit.

1 Si ſervus a domino ſuo inſtitutus in eadem cauſa non permaneat, ei neceſſarius heres eſſe nequit, ſed manumiſſus ſuo arbitrio hereditatem acquirit.

2 Dominus nudæ proprietatis poteſt ſervum heredem cum libertate inſtituere.

3 Venit etiam inquirendũ: Utrum uſusfructuarius poſsit ſervum cũ libertate inſtituere ut ei neceſſarius fiet heres? Negative reſolvimus.

4 Servus proprius pignori datus heres a domino cum libertate inſtitutus eidem debitori fit heres neceſſarius

5 Curioſe ſciſcitaberis: Utrum in homine libero poſsit pignus conſtitui? Minime.

FLOS QUARTUS

PRO INSTITUTIONE SERVI COMMUNIS, & CAPTI ab hoſtibus.

Ad J. C. Ulpian. lib. 4. ad Sabin. in l. ſed ſi conditione 6. §. ſi ſervum 3. ff. de heredibus Inſtit. & Gajum lib. 1. de Teſtamentis ad edictum Prætoris Urbani in l. illa inſtitutio 32. §. 1. ff. eodem titulo.

1 SErvus cõmunis ab uno ex condominis heres cum libertate inſtitutus ſi ab ipſo cæterorum ſociorum partes redimantur liber & neceſſarius eſſe poteſt.

2 Servus ab hoſtibus captus ſi inſtituatur a domino cum libertate & poſt liminii redeat erit heres neceſſarius.

3 Ut ſervus domino ſuo neceſſarius heres exiſterat præciſe requirebatur ut in eodem gradu libertatem & hereditatem obtineret.

FLOS QUINTUS

PRO INSTITUTIONE SERVI DE ADULTERIO MACULATI.

Ad J. C. Martianum lib. 4. Inſtitutionum in l. ex verbis 48. §. Interdum 2. de Heredibus Inſtit.

1 SErvus de adulterio cum domina commiſſo maculatus non poteſt ab ipſa heres inſtitui cum libertate licet ſolvendo non ſit.

2 Dubium tamen eſt an talis ſervus adhuc non poſsit heres inſtitui a domina, ut etiam ſi poſtea innocens appareat, innutilis remaneat inſtitutio? Non remanere æquius judicamus.

FLOS SEXTUS

PRO INSTITUTIONE SERVI PROPRII DE JURE NOVO

Ad Iper. Juſtin. in l. quidam 5. Cod. de neceſſarijs ſervis Hered. Inſtit.

1 POſt conſtitutionem. Imperatoris Juſtiniani ſervus a domino ſuo abſque expreſſa datione libertatis inſtitutus, neceſſarius domino Heres exiſtit.

CONIMBR. *Sup. Grat.* Apud Benedictũ Secco Ferreyra Typ. S Officij, Anno Dñi 1722.

Página
de
Cotrolo

Conclusiones Iuris Civilis